

Δυκόλπος, si tamen illi hymni ab Homero scripti sunt. Vt ut sit, βαθύκολπος non magis barbararum mulierum est, quam Graecularum, et elegantiorum, cum Anacreon, scriptor Ionicus, ita amículas suas vocet. Caeterum potest et *pulchram* simpliciter significare, quemadmodum εὐζωνος, et καλίζωνος, apud Hesychium, cuius locum hic emendabo. Καλίζωνοι· ἀπὸ μέγας καλήν τὸν οἶκον· quaere, qui haec intelligat. Interim lege mecum: ΚΑΛΙΖΩΝΟΙ· ἀπὸ μέγας, καλαί. ΚΑΛΙΗΝ· τὸν οἶκον· κάλα γὰρ τὰ ξύλα. Id erit: Καλίζωνοι, *pulcræ, a parte totum scilicet.* Καλήν *domum significat.* Κάλα enim ligna sunt. inde *calones.*

*Ode VI.* Titulus est: Εἰς τὸ αὐτὸ, quasi in *rosam* hoc odarium scriptum sit, vti et quintum: quod minus verum est. Quid enim ad encomium rosae affert? nihil quidquam, praeter nudam appellationem ῥοδίων σέφαιίσκων. Aliud in animo habebat hic scriptor; Anacreontis enim haec ode non potest esse, quae ferme tota Dorica sit; describit scilicet ludum aliquem, aut choream fortasse figuratam, seu ἰσχηματισμένην, in qua puella cum thyrso saltaret, puellus aliquis cum pectidibus molliter caneret, dum Cupido, Bacchus, et Venus; adolescentes scilicet cum puella, qui personati erant; cantitando, et saltitando, ad deum Κῶμον irent, ut ipsum ad comissionem inuitarent.

*Ibid. v. 4.* ὑπὸ βαρβίτῳ] Latini *ad barbitum saltare* dicerent: Graeci autem *sub barbito.* Lucianus, diall. deorr. p. 215. Το. I. Graeu., ὑπὸ τυμπάνοις, καὶ αὐλοῖς, καὶ κυμβάλοις, χορεύων. Aristides orat. in Smyrnam, p. 470. Το. I. Canter., ὑπὸ τῆ αὐλῆ ὀρχημένων. Dicebant etiam χορεύειν ἐν αὐλῶ. Lucianus in libello illo, et docto, et elegantī, περὶ ὀρχήσεως.

*Ibid. v. 5.* Κατὰ κισσοῖσι βρέμοντας] *Quibusdam legendum videtur κατακίσσοισι, uno verbo, inquit Stephanus, id est, κισσῶ κεκαλυμμένοις· quorum iudicium sequor; sed participium βρέμοντας mihi suspectum est.* Haec ille. Fateor, legendum esse vnica voce κατακίσσοισι, non κατὰ κισσοῖσι· sed facere non possum, quin ab eius sententia, et interpretatione, abeam.